DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE SCARLATINA,

EJUSQUE CUM ANGINA NEXU.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

FEBRE SCARLATINA,

EJUSQUE CUM ANGINA NEXU;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

MALACHIAS BLAKE,

ANGLUS;

Soc. Nat. Stud. Edin. Praes. Ann.

NEC NON,

Soc. Med. Edin. Soc.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M DCC XCIII.

MALACHIAE BLAKE,

ARMIGERO,

PATRUO SUO DILECTO,

INDULGENTISSIMOQUE:

NEC NON,

SAMUELI DANIEL, M. D.

DE CREWKERNE,

IN COMITATU SOMERSETTENSI,

OB

AMICITIAM INSIGNEM,

QUA SE DIGNATUS EST,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

D. D. DQUE

AUCTOR.

Dr. Minor
with best Compts
from Mr. Author.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE SCARLATINA, &c.

AD hunc morbum indagandum jam inde a prima origine, aut ad quaeſtionem iſtam ambiguam inveſtigandam, conari, ſive auctores veteres, Graeci atque Romani, eum ab aliis accurate dignorunt, atque eum clare et perſpicue deſcriptum ad nos tradiderunt, necne, vix operae pretium eſſe mihi videtur. Per

aeva jamdudum peracta, hunc morbum ſeſe in conſpectum praebuiſſe, maxime eſt forſan probabile. Nobis vero exploratum habere ſufficiat, eum in diebus proxime exactis, per varias partes Europae longe lateque fuiſſe diffuſum, atque ſcriptores medicos, occaſionem capientes, hiſtorias nonnullas eximias de eo vulgaſſe. E ſcriptis eorum, cum ſummis viribus perpenſis, pauca de Febre Scarlatina, Scarlatina Anginoſa, et Angina Maligna, quaſi ſpeciebus ejuſdem morbi diverſis, ſub forma Diſſertationis Inauguralis, ſubjungere volo.

HISTORIA MORBI.

Anni tempeſtate, atque corporum conſtitutione mutatis, ſigna hoc genus morbi comitantia, valde mutantur; aliquando adeo ſunt mitia, ut vix medici auxilio egeant; aliquando autem ſaeviora evadunt, atque ocius vel ſerius vitam extinguunt. Hiſtoria hujuſce morbi perlecta quam optimus

mus de re medica ſcriptor (*a*) memoriae tradidit, eum ſilentio tranſiiſſe multa nunc memoratu digna, et maxime obſervationem merentia, manifeſte patebit. Hoc autem haud temere factum ; eo vivente, Febris Scarlatinae ſymptomata lenia erant, et vix unquam iis ſuccubuit aeger. De morbo haec verba habet, " Rigent, horrentque ſub initio, ut in " aliis febribus, qui hac adficiuntur, neque " vehementer admodum aegrotant ; poſtea " cutis univerſa maculis parvis rubris inter- " ſtinguitur, crebrioribus certe et multo latio- " ribus, magiſque rubentibus, at non perinde " uniformibus, ac ſunt illae quae morbillos " conſtituunt. Ad duos treſve dies perſiſtunt " hae maculae, et quibus demum evaneſcen- " tibus, decedenteque ſubjecta cuticula, re- " ſtant furfuraceae quaedam ſquamulae ad- " inſtar farinae, corpori inſperſae, quae ad ſe- " cundam aut tertiam vicem ſe promunt, con- " duntque viciſſim." Morbum jam deſcriptum

(*a*) Vid. SYDENHAM. De Scarlatina.

tum haud ſaepius alicui periculum conflaſſe, minime eſt mirandum ; diebus autem proxime exactis, exitus magis exitiales ei nimis frequenter inſtare, auctores noſtrae aetatis nos certiores fecerunt.

Speciei hujuſce morbi, nomine Scarlatinae Anginoſae gaudenti, ſigna ei propria nunc enumerare conabor.

Scarlatina Anginoſa, licet tempore quovis anni poſſit oriri, ſaepiſſime tamen autumno, vel ineunte hieme, fervida praegreſſa aeſtate, ſeſe oſtendit. Sexum muliebrem quam virilem, juvenes quam adultos, debiles quam robuſtos, crebrius et gravius corripit. Morbo incipiente, aeger plerumque diverſis pyrexiae ſignis afficitur, horrore et rigore, calore, dolore capitis, anxietate circa praecordia, et vomendi cupiditate. Breve poſt tempus, fauces internae tument, dolent atque rubeſcunt. Pulſus fit celer, ſaepius parvus et debilis, rarius validus

et

et durus. Exacerbationem veſpertinam, remiſſionem matutinam, febris aſſumit. Tumore et rubedine tonſillarum, veli penduli, et uvulae auctis, maculae albidae ſpeciem cruſtoſam primum induentes, poſtea autem decedentes, atque foveolas relinquentes, iis et partibus vicinis obrepere cito cernuntur. Cum ſymptomatis jamjam prolatis, lingua et fauces viſcido muco obductae, deglutitio aliquantulum moleſta, reſpiratio difficilis, et ſpiratio rauciſona, maxima ex parte junguntur. Intra diem unum vel alterum, facies et cutis, per maximam corporis partem, maculis rubentibus et coeuntibus, colore eryſipelatoſo efflореſcunt. Hae maculae a vultu et partibus ſuperioribus, plerumque intra diem ſecundum et quartum deſcendentes, per totam ſuperficiem corporis, uſque ad partes inferiores ſeſe diffundunt. Tempore eodem, ſupra brachia, crura, et interſtitia quaedam, in quibus eruptio eryſipelatoſa vix percipienda, puncta numeroſa magis prominentia, ſed haud coeuntia eſſe videntur.

Eruptio

Eruptio, ut tempore adventus, ita etiam tempore definito diſceſſus, eſt valde inconſtans; aliquando diem ſolummodo unum, aliquando autem tres vel quatuor perſtat; tandem cuticula deſquamatur, ac ſimul pruritu aegroti vexantur.

Neque accedente, vel diſcedente eruptione, ſunt pyrexiae ſigna aut caeterarum affectionum quodammodo ſoluta, ac quidem remiſſio eorum vix unquam obtinetur.

Morbi ſignis aliis ſeſe remittentibus, Anaſarca, quibuſdam in exemplis, corpus occupare videtur; haec autem rariſſime ulla remedia poſtulat.

Symptomatis hujuſmodi ſimul conjunctis, Scarlatina Anginoſa epidemice per oppida et urbes graſſatur; quandoque autem haec acerbiora fiunt, et niſi levata, citiſſime aegrum deperdunt.

Morbo

Morbo maxime ingraveſcente ſub forma Anginae Malignae, maculae in faucibus antea coloris albeſcentis, vel cineritii, coaleſcunt, et ulcera livida atque gangraenoſa tegunt; ſpiritus aegri primum injucunde, tandem faediſſime olet. Ex membrana naſi et faucium inflammata, humor tenuis, acriſque effunditur, qui labiis atque naribus cutem detrahit; in infantibus praecipue, hicce humor, forſan deglutitus, quidamve ejuſdem generis per totum tubum inteſtinalem ſecretus, gravem diarrhoeam inducit, et partes circumjacentes anum maxime excoriat: "I have known this fluid ſo "exceſſively acrid, that it not only corroded "the lips, cheeks and hands of the children "that laboured under the diſeaſe, but even "the fingers and arms of the nurſes that at-"tended them (*a*)." Hoc in ſtadio morbi, pulſus plerumque parvus, debilis, frequens et irregularis, ſentitur. Corpus aegroti totum maxima debilitate opprimitur; a ſitu erecto animi

(*a*) Vid. D. HUXHAM, on the Malignant Sore Throat.

animi deliquium evenit; pervigilium atque delirium aliquando, aliquando etiam coma aegrum prehendit. Lingua quamvis ad apicem humida et albeſcens, cruſta ſaepe colore luteolo vel ſubnigro gaudente, radicem verſus obtegitur. Pleriſque in exemplis, facies tumeſcit, oculi vel hebetes et languidi fiunt, vel inflammati, ut in rubeola, lachrymas fundunt.

Glandularum parotidum, maxillarum atque tonſillarum tumores, aſperam arteriam comprimentes, ſuffocationem haud raro minitantur. Inflammationi ſupervenientem gangraenam per oeſophagum ad ventriculum, et per tracheam ad pulmones interdum ſerpere conſtat. Nonnullis temporibus haemorrhagiae ſpontaneae, incipiente etiam morbo, e naribus, ore et utero, ſuboriuntur; morbo autem provectiore et in pejus ruente, haemorrhagiae ſimiles ſemper fere exitialem eventum portendunt. " Malignam ſignificationem praebet " ſegnis ſanguis ſtillans e naribus aut ore.

" Quidam

"Quidam cum hoc ſigno nullum vidiſſe libe-
"ratum docent; nos vero unicum ſolum ae-
"grotum ſumma diligentia a tanto periculo
"vindicavimus (*a*)." "Of three whom I
"attended, and who had this ſymptom, two
"recovered; the third died of a bleeding at
"the noſe, before any aſſiſtance could be pro-
"cured (*b*)."

Denique ex quibuſdam exemplis conſtat, dum adeſt nulla effloreſcentia cutis, fauces plus minuſve dolentes, atque varia pyrexiae ſigna, aegros, quamvis iſti contagioni expoſitos quae in aliis hanc effloreſcentiam gignit, nonnunquam vexare.

Causae Remotae.

Ex hiſtoria morbi modo ſupra dicta, Scarlatinam Anginoſam juvenes atque aetate provectos, debiles et robuſtos, ſin-

 guloſque

(*a*) Vid. P. M. De Haeredia.

(*b*) Vid. Dr Fothergill, on the Ulcerous Sore Throat.

guloſque etiam, quocunque temperamento et habitu corporis gaudeant, quamvis haud pariter forſan, tentare, inferre monemur. Qualia autem ſint ſpecialia temperamenta, quae aliquem huic morbo praecipue obnoxium reddant, quales ſint res externae, veluti coeli conditio, ratio vivendi, locus habitandi, &c. quae, ut is nunc miteſcat, nunc graviter ſaeviat, efficiant, ea nominatim recenſere imprimis eſt difficile: "With reſpect to conſtitution, how-
" ever, it may be obſerved, that in ſoft lax
" leucophlegmatic habits, and languid inac-
" tive diſpoſitions, every thing elſe being e-
" qual, the diſeaſe ſeems to proceed more ſlow-
" ly, to go off more irregularly, and to leave
" behind it more laſting effects. In ſome per-
" ſons of the temperament deſcribed, though
" the fever has grown leſs, and all the ſymp-
" toms abated in four or five days, yet the
" ſloughs in the throat have continued almoſt
" a week after; whilſt in the oppoſite conſti-
" tution, though the diſeaſe has been much
" more

" more acute, yet the ſymptoms have no " ſooner abated, than the ſloughs have caſt off, " and the ulcers healed of their own ac- " cord *(a)*." " The remote and external cau- " ſes, which had the moſt obvious influence " in rendering the epidemic malignant, may " be reduced to the following, *viz.* The heat " and moiſture of the air, and the effluvia a- " riſing from many perſons crowded in one " houſe and frequently in one room *(b)*."

His cauſis efficacibus ſimul concurrentibus, patet quodammodo, cur morbus diverſis temporibus, tot modis diverſis ſeſe oſtendat. Omnibus autem medicinam excolentibus bene eſt cognitum, neminem, quacunque ſit conſtitutione, vel loco quocunque habitet, hoc morbo vix unquam affectum iri, niſi viribus propriae excitantis cauſae, contagionis ſpecificae, objiciatur; de natura autem hujus contagionis, vel

(a) Vid. Dr FOTHERGILL.

(b) Vid. Dr CLARK, on Fevers.

vel de modo quo ſymptomata varia inducat, me omnino ignorare confiteor.

DIAGNOSIS.

Quoniam aliis ſunt morbis ſymptomata quaedam conſimilia iis quae morbos alios comitantur, ſed quae reipſa multum inter ſe diſcrepant, et diverſae medelae parent, ita ad diagnoſin inter ea perſpicuam conſtituendam, ſedulo eſt conandum. Hoc autem nimis ſtudioſe perſequendo, ſpecies ejuſdem morbi nonnullas, quaſi morbos *generice* diverſos, aliquando deſcriptas fuiſſe mihi videtur. Hujus diſtinctionis nimis accurate perfectae, Febris Scarlatina forſan nobis exemplum praebebit. Multi enim de hac Febre ſententias proponentes, et inſtar omnium D. CULLEN, ad eam ab Angina Maligna diſtinguendam, ſumma ope nituntur; nituntur autem incaſſum, ut prorſus exiſtimo; ex hiſtoria enim morbi ipſius ad mundum prolata, et ex quorundam

rundam auctorum obſervationibus, me perſuaſum habere neceſſe eſt, Febrem Scarlatinam, ut in aevo peracto deſcriptam, Scarlatinam Anginoſam, et Anginam Malignam, haud in genere, ſed in gradu ſolummodo, inter ſeſe differre. Morbo epidemice graſſante, ſinguli etiam ex eadem familia qui ex eo laborant, quique, ut maxime eſt probabile, eidem contagioni promiſcue fuerunt expoſiti, vix unquam ſignis perinde iiſdem afficiuntur. Dum quidam ex numero leviter correptus, vix de ſenſatione in faucibus moleſta conquerens, ſed propter efflorescentiam eryſipelatoſam duntaxat domi ſe continet; alter ſymptomatis aegrotat, quae Scarlatinae Anginoſae propria eſſe dicuntur; et alius forſan ſignis Anginae Malignae magis infauſtis, et gravioribus longe tenetur.

Rebus ita ſe habentibus, nihil eſt rationis certiſſime, quare ratiocinandi modus a quibuſdam uſurpatus, et argumenta ab iis in medium prolata, ad diſcrimen ſpeciale Scarlatinam Anginoſam inter et Anginam Malignam demonſtrandum,

dum, haud peraeque afferantur ad probandum Variolas Diſcretas, et Variolas Confluentes, Rubeolas etiam Vulgares, et Rubeolas Putridas, diſſimili natura gaudere. In hac autem, ut mihi videtur, ſolummodo diſcrepant; ſymptomata in his et Angina Maligna ſaeviora, in illis et Scarlatina Anginoſa mitiora, evadunt; ab eadem enim contagione ſpecifica ſingulis propria, Variolae Diſcretae et Confluentes, Rubeolae Vulgares et Putridae, Scarlatina Anginoſa, et Angina Maligna, originem ducunt: "I ſhould "not have riſked this opinion, had I not ſeen "the Scarlet Fever twice epidemic; and in "ſome patients as mild as that deſcribed by "SYDENHAM; and in others attended with "ulcerated ſore throat; and in others, with "every circumſtance of the Angina Mali-"gna *(a)*."

Altera res quoque de Febre Scarlatina in queſtionem vocata fuit, diu attentionem medicorum

(a) Vid. Dr CLARK.

rum ſibi aſſumpſit, ſed adhuc ſub judice manet; hanc etiam breviter notare mihi eſt in animo. Rogatum eſt, Necne aliquis per totum vitae decurſum, bis vel ſaepius hoc morbo affici poſſit? de hac queſtione, perquam difficili, plures auctores ſententias inter ſe repugnantes propoſuerunt. Quomodo autem revera ſeſe habeat, locum huic Febri in Noſologia *(a)* aſſignatum, e. g. inter exanthemata quae "ſemel tantum "in decurſu vitae aliquem afficiunt," minime ei jure obtigiſſe, oppido ut putem adducor. In praelectionibus de Medicina Practica, in hac Academia publice datis, nonnulla ex propriis obſervationibus exempla, obſervatu digniſſima, cel. Profeſſor *(b)* enumerat, quae ſatis valentia etiam, ſententia e contra olim habita nunc aliquamdiu mutata, ad opiniones quas ſupra memoravi credendas eum duxerunt.

Dum

(a) Vid. Dr Cull. Synop. Noſol. Method.

(b) Dr Gregory.

Dum ſcripta auctoris verſabam, qui de Scarlatina Anginoſa eximie ſcripſit, quique ad veram ejus naturam inveſtigandam cum ſucceſſu quodam felici operam dedit, verba ſequentia invenire de rubedine cutis eryſipelatoſa bis vel ſaepius in eodem occurrente, me aliquanto miratum eſſe confiteor. Poſtquam ad evincendum conatus eſt, et ut mihi videtur reipſa evicit, Scarlatinam Anginoſam et Anginam Malignam ſpecies morbi ejuſdem eſſe diverſas, hoc modo ſententiam refert: "To this opi-
"nion it may be objected, that the Scarlet Fe-
"ver only ſeizes patients once in their lives;
"whereas having the Angina Maligna once
"is no ſecurity againſt a ſecond attack. This
"indeed ſeems to have much weight; but I
"very much doubt, whether the Angina Ma-
"ligna was ever attended with the ſcarlet efflo-
"reſcence twice in the ſame patient; though
"it is probable, when the diſeaſe is epidemic,
"that the ſame patient may have the affection
"of the throat repeatedly *(a)*." Quamobrem autem

(a) Vid. Dr CLARK.

autem nonnullis tantum, et haud ſingulis morbi ejuſdem ſignis bis vel ſaepius aliquis corripiatur, non facile, ut opinor, percipi poteſt; exempla equidem quae in Praelectionibus D. Gregory enarrat, rem procul e dubio ponunt; atque haud impoſſibile eſſe cuilibet, ſaepius contagioni expoſito, Febre Scarlatina plus ſemel laborare, poſthac manifeſte patebit.

Ne hanc diſſertationem nimis producam, huic argumento plus temporis impertire, nequaquam in rem fore credo; nunc igitur de diagnoſi inter Anginam Malignam, et Cynanchen Tonſillarem, differere mihi eſt conandum.

Res maximi eſt momenti ad aſpectum faucium Cynanchen Tonſillarem comitantem ab eo accurate diſcernendum, quem Angina Maligna comitem habet. Hujus diſcriminis perſpicientia praeditis, atque ſimul ad pyre-

xiae ſigna, et ad cauſam morbi primariam animum attendentibus, remedia huic vel illi accomodata ſeligere, haud difficile erit. Remedia enim in hac utilia, in illa adhibita, aegro damnum inferrent. In Cynanche Tonſillari vel Inflammatoria, maculae in faucibus albidae, quaſi veſiculae vel papillae lympha pellucida diſtentae, videntur. Progrediente morbo, colorem plerumque non mutant, neque ulcera maligna tegunt, atque gargarizando, maxima ex parte, ablui poſſuut. Hae maculae ſecum parum periculi ducunt; maculae autem nigricantes in Angina Maligna vel Gangraenoſa, vim morbi plurimum indicant. Pyrexiae typhodis ſigna, vomitus, diarrhoea, cutis effloreſcentia, et alia hujuſmodi, haud in Cynanche Tonſillari ſeſe oſtendunt; ab evacuationibus in hac evenientibus, ſigna ſeſe remittunt, in Angina Maligna autem hae violentiam morbi valde adaugent. Cynanche Tonſillari, ſub quadam tempeſtatum mutatione, a frigore corpori applicato originem

ginem habenti, homines adulti ac robuſti plerumque ſunt obnoxii; dum Angina Gangraenoſa, a quodam contagio ſaepiſſime nata, juvenes atque debiles praeſertim adoriri videtur.

Prognosis.

De eventu Anginae Malignae fauſto vel infauſto, cautiſſime ſemper ſententiam referre debemus. Morbum eſſe maximi periculi plenum, citoque ſaepe exitialem, in memoria habere oportet; multi enim eo affecti intra dies duos vel tres, aliquando etiam intra horas viginti quatuor, ſpiritum efflarunt. Certius de eventu judicium feremus, ſi morbum prout epidemice graſſetur, aegri aetatem, corporis habitum, &c. in animo diligenter verſemus. De ſingulis horum, pauca quae mihi ſunt in promptu, dicere rogo.

De Morbo Epidemico.

Ex hiſtoria ſupra-narrata, Anginam leniter modo, modo etiam graviter aegros tentare, omnibus conſtat. Inter pyrexiae ſigna, ei diverſis temporibus adjuncta, tanquam Variolis atque Rubeolis, tanta eſt, quanta maxime poteſt eſſe, diſtantia; aliquando enim vix aliquid auxilii petunt; aliquando autem, quantumcunque iis ſubminiſtrari poteſt, ad vitam conſervandam perneceſſarium eſſe videtur.

De Aegri Aetate.

Teneros inter atque admodum adoleſcentes, quam inter aetate provectiores, cladem multo majorem Angina ſternere ſolet. Quo aetate tenerior infans, eo forſan multas ob cauſas periculoſior morbus. In infantibus interdum per aliquot dies male ſe habentibus, ſed adhuc vix periculoſe aegrotantibus,

grotantibus, ſigna hujus morbi maligna ſubito atque inopinato accedunt, vires maxime exhauriunt, atque intra horas viginti quatuor forſan, iis mortem minantur.

De Habitu Corporis, &c.

Ab hoc morbo robuſti atque corpore vigentes, vel omnino ſunt immunes, vel ſi quando correpti, ad impetum ejus ſuſtinendum, debilibus, iiſque habitu corporis imbecillo, longe praepollent.

His rebus, notiſque variis morbi praeſentibus bene perpenſis, aliquid de eventu ejus fauſto vel infauſto, conjicere licet.

Signa nonnulla, quae Anginae eventui fauſto praecurrunt, nunc recenſere enitar; qualia ſunt Febris mitior, naturam typhoëdeam haud ſibi aſſumens; fauces ulceribus minime altis ſcatentes; eruptio in cute copioſa, ac

per

per dies aliquot perſtans; nitor oculorum; ſudoris eruptio, quam excipit placida quies; cruſtae faucium decedentes; aegro ex ſomno expergiſcenti cibi deſiderium, &c. E contra autem, pulſus debilis et frequens, aliaque Febris typhodis ſigna; ulcera in faucibus livida, nigricantia; anima foetida; vomendi cupiditas vehemens; diarrhoea; humor tenuis et acris e naribus et ano defluens, parteſque vicinas corrodens; corpus quaſi cadaveroſe olens; cutis efflorescentia ſubito evaneſcens, vel palleſcens; ſanguinis e naſo, auribus, et aliis partibus fluxus, mortem in propinquo eſſe clariſſime indicare dicuntur. "When the pa-
"tients recover, the ſymptoms proceed in
"the following manner: The redneſs of
"the ſkin and the heat abate; the pulſe be-
"comes ſlower; the external ſwelling of the
"neck ſubſides; the ſloughs caſt off; the
"ulcerations fill up; and ſleep and appetite
"return: But if the efflorescence ſuddenly
"diſappears

" diſappears or becomes livid; if the ulcers " of the fauces turn black; the eyes loſe their " luſtre, and the ſwelling of the neck and " face increaſe, together with involuntary li- " quid ſtools, the danger may be judged to be " extreme *(a)*."

Diem nullum criticum, quaſi acmen, ſibi vindicat Angina Maligna. Intra diem tertium et ſeptimum plerumque aegroto exitium affert; ſi ultra hunc diem vitam aegri produxerint, in tuto ſaepe habentur; multa autem exempla in Praelectionibus de Medicina Practica, Profeſſor enumerat, e quibus hunc morbum uſque ad diem decimum vel duodecimum, vitam aliquando extinguere, manifeſte videtur.

RATIO MEDENDI.

Quamvis Scarlatina Simplex adeo ſit benigna, ut vix nomen morbi mereatur, et quamvis eam ſanare natura ipſa, paucis

(a) Vid. Dr CLARK.

paucis adjuta, plerumque valeat; tamen hanc etiam e remediis evacuantibus in uſum adhibitis, et nimia medici diligentia, ſigna periculi multo majoris plena, aliquando comites habere, in memoria eſt retinendum. In hac "Satis habeo ut aeger a carnibus in ſolidum "abſtineat, et a liquoribus ſpirituoſis qui- "buſcunque, tum ut neque foras prodeat, ne- "que ſe perpetim lecto affigat. Cute jam pe- "nitus deſquamata, et ceſſantibus ſymptoma- "tis, e re fore exiſtimo, ut purgetur aeger "leni aliquo medicamento aetati et viribus "accommodo (*a*)."

Quoniam tunc ex evacuantibus ad Scarlatinam Simplicem medendam nimis large uſurpatis, valetudinem ingraveſcere atque in pejus ruere, compertum habemus; tantum et plus etiam ea ſunt evitanda, dum ſignis Scarlatinae Anginoſae propriis aeger laborat. Sanguinis miſſio igitur, atque purgantia *draſtica*, vix aut ne vix quidem adhiberi debent, quamvis,

(*a*) Vid. SYDENHAM.

quamvis, incipiente morbo forſan, ſigna quaedam inflammatoria interdum ſeſe in conſpectum praebeant. His enim ſignis talibus remediis amotis, indicia debilitatis ſaepiſſime, quae ſunt Anginae Malignae, ſupervenire ſolent; et quum Scarlatinae Anginoſae medela iiſdem conſiliis nitatur, ac ea Anginae Malignae, (aliquo de violentia morbi deducto), nunc medicamina quaedam, quae huic et illi accommoda videntur, quantum in me eſt, proponere decet.

Jam inde a principio morbi uſque ad diem tertium vel quartum, Emeticis ex Ipecacuanha, &c. (quamvis quo citius adhibita, eo certe meliores effectus edunt), ad nauſeam amovendam, et ad ſordem, qua ventriculus vexatur, exonerandam, uti debemus.

Ut ſignis debilitatis occurrere, quam ea inſtantia expellere multo eſt facilius, ita ad Vinum, Corticem Peruvianum, atque roborantia

alia, ut vires aegri ſuſtentemus, cito eſt confugiendum. " Corticis Peruviani ſi aliquo in " morbo diuturnus eſſe debeat, larguſque u- " ſus, in hoc ſaltem debere conſtitit *(a)*."

Diarrhoea urgente, remedia aſtringentia ad eam ſiſtendam valde conveniunt.

Ad ulcera in faucibus ſedulo atque diligenter animum advertere oportet; ad haec, gargariſmatis aſtringentibus utatur, vapores aquae tepidae, aceti, &c. aeger inhalet. Epiſpaſtica, rubefacientia, et alia hujuſmodi, collo externo impoſita, aliquando proficiunt.

Aër frigidus in hac, ut in aliis febribus pleriſque contagioſis, optimos effectus edere ſolet; aeger igitur in conclavi quam mundiſſimo, quo aëra multum, frigidum, atque purum trahere poſſit, contineatur.

DE

(a) Vid. De HAEN, De Scarlatina,

De Methodo Medendi, ut nequid novi ſubjicere poſſum, breviter ſententiam dixi; quod ſi aliquis remedia ſingulatim atque ſpeciatim enumerata velit videre, auctores quos ſaepe citavi, et precipue D. Fothergill et Clark, conſulere debet.

FINIS.